



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1710**

9. Dies Novemb. Vis ut serviat caro tua, animæ tuæ? Deo serviat anima tua. Debes regi, ut possit regere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45477**

nos certò certius expectat, liquido cognoscamus; idque ideò, ut alteram sortem, eamque tristissimam fugiamus, alteram verò optatissimam consequamur? Has duas fortes tam disparem vobis, velut è latebris educit, & in lucem producit, accurata meditatio, dum cogitando commora, illarum adyta penetramus. Si- cut ergò sol suo calore revelat, quidquid nix celastic & meditatio arcana omnia revelat: sic enim de sole Poëta:

*Quidquid nix celat, solis calor omne revelat.*

### 9. DIES NOVEMB.

Vis ut serviat caro tua, animæ tuæ? Deo serviat ani- ma tua. Debes regi, ut possit regere. S. Augusti- nus supra Joan.

Sub Deo servitus I.

**D**Um hic differo de servi-  
tute, quâ te subjicias  
Deo, ago de libertate,

quâ ut Dominus imperes mundo. Meditatio Deo,  
cui serviant etiam qui ubique dominantur, servi-  
re te serio, & submissâ animi reverentiâ docebit.  
Servire te dum jubeo, ingenuum esse volo, imò  
servitutem humillimam quam serviebas, excutere.  
Servitus illa est virtutis, non vilitatis, imò illa ser-  
vitus est verè dominatus. Servies honori ejus, qui se  
honorantes honorat, præmittens omnibus actioni-  
bus tuis simplicissimum re&tæ intentionis oculum, &  
sic te diligit Deus ut pupillam oculi. Servies verita-  
ti ejus præferesque omnibus actionibus tuis lucidissi-  
mam fidei facem; servies fidelitati ejus, offeresque  
omnibus actionibus tuis firmissimæ spei illecebras.  
Servies bonitati ejus, admovebisque omnibus actioni-

bus

bus tuis ferventissimi amoris flamas; servies justitiae ejus, & adhibebis omnibus actionibus tuis ingenui timoris frœnum. Qui pavet, caveret, nec facile Deum offender, qui timet ne offendat. Serviet maiestati ejus, addesque omnibus actionibus tuis debitæ religionis obsequium. Nullum non obsequium illi est debitum, cui nihil non debes. Intentio finem & scopum monstrat, inter tot illecebras, Fides viam ostendat, inter tot errores; Spes præmiis alliciat inter tot molestias, Amor flammis accendat, inter tot turbines; Timor frœno cohipeat, inter tot licentias; Religio cultum reddat, inter tot irreverentias.

II. Cave fallat oculus, fax obscuretur, anchora solvatur, flamma extinguitur, frœnum laxetur, cultus pervertatur. At quomodo intendis finem tuum, qui torties aberras à scopo tuo? quomodo speas summum bonum tuum, qui ultrò accersis summum malum tuum? quomodo sectaris Dei honorem, qui tuum in omnibus captas commodum? credisne odium tuum amorem esse? amorem tui, odium esse? carnem tuam hostem esse, mundum fucis plenum esse? divitias spinas esse? voluptates, dolorum fontes esse? honores, vanitares esse? gloriam, ingloriam esse? adversitatem, prosperitatem esse? crucem salutis instrumentum esse? non credam hæc te credere, nisi videro aliter vivere. Fidei tuae probatio, non sit professio, sed actio. Oportet illam non tam protestari verbis, quam testari actis. Faciamus modò, & anatomiam tuæ spei. Sperasne veniam, quam offert misericordissimus? gratiam, quam benignissimus? gloriam, quam liberalissimus? auxilium, quod parentissimus? consilium, quod sapientissimus? solatum, quod

quod dulcissimus ? perseverantiam quam fidelissimus ? Spes omnia futura sibi sicut tanquam praesentia illa quaecumque Deus promittit , tibi quasi in finum mittit, ita ut jam propè possideas, quæ te Deo spoufore, possessorum firmiter speras..

III. Jam reliqua prosequamur, amasne eum, cuius natura bonitas est ? cuius verbum veritas est ? cuius opus, beneficium est ? cuius forma pulchritudo est ? cuius promissum fidelitas est ? cuius convictus jucunditas est ? cuius aspectus, felicitas est ? cuius possessio, salus est ? illum inquam, cui servire est dignitas ? subesse potestas ? obsequi libertas ? osculari castitas ? copulari virginitas ? timesne eum , cuius oculus omnia videt, cuius manus omnia tenet ? cuius aspectum nemo potest effugere ? cuius iracundiae nemo resistere, cuius sapientiae nemo illudere ? cuius scientiam nemo potest fallere ? cuius sententia, est justitia ? cuius vindicta, est animi , corporisque ruina ? colitis eum , quem unum colere maiestas ejus exigit , dignitas ejus monet, beneficentia ejus, officium tuum postulat ? colitis eum observantiae tuæ officiis ? tolerantiae tuæ hostiis, cordis tui suspiriis, oculorum tuorum lacrymis , laudum encomiis , voluntatis desideriis, intellectus cogitationibus, manuum operibus, mentis intentionibus ? Ita quidem, si Deo servieris, servitute brevi æternum regnum obtinebis, si que ex servo unius, omnia Dominius : sic Deo serviendo in omnibus se submittere, est omni servituti nullum remittere. In omnes & in omnia dominaberis, si uni huic subsis Domino : sub quo jacere est supra mundum stare. Gloriosius est esse Dei ultimum mancipium , quam totius mundi primum Domum.

num. Alterutrum necesse est eligas Dominum , vel qui supra omnes est , Deum , vel qui infra omnes , Diabolum. Vide quem eligas , quia nemo potest duobus Dominis servire : ad stipulatur huic veritati

Poeta :

*Vix placet ambobus , qui vult servire duobus.*

### IO. DIES NOVEMB.

Non est timendum , quod liberat ab omni timendo.

Tertullianus lib. de testam. Animæ.

Ubi rectus I.  
rerum  
omnium.

**D**ocui primas Deo tribuendas ,  
secundas tibi vendica. Post  
Deum nullus tibi te ipso pro-  
pinquier ; sic ergo vive , ut vivas primum Deo , de-  
inde tibi morere , quod quoad refugis , vivere desi-  
nis , & vivendo mortuus es. Est raræ artis & præcla-  
ræ virtutis , posse exequi hoc paradoxum , videlicet  
moriendo vivere , & vivendo mori. Hanc artem tibi  
suggerit , qui illam terris tradidit , cœli Magister ,  
mortis viator , auctor vitæ , qui te uti vivere docet ,  
ita malè vivere dedocet , & mori jubet , mandatque  
te ut cadaver , dum calcaris , non ejulare : dum sper-  
neris , non respondere ; dum pateris , non indignaris ;  
dum offenderis , non stomachari ; dum derideris ;  
non obloqui ; dum spoliaris , non queri ; dum percu-  
teris , non altercari ; dum accipis injuriam , non re-  
pendere vindictam. Cavet eadem , ne vivat in te sti-  
mulus carnis , quo Deo displiceas ; pruritus vanæ  
gloriæ , quo obscures Dei gloriam ; cupiditas hono-  
ris , quâ tollis honorem illi , cui soli debetur omnis  
honor & gloria : auctor opum , quo redderis virtu-  
tum inops : appetitus laudum , sub quo latet con-  
geries